

John Carter Brown
Library
Brown University
Gift of
John Nicholas Brown.

STC 16459

ST 16459

ORDO DI-
STRIBVTIONIS
SACRAMENTI ALTARIS SVB VTRAQVE SPECIE, ET FORMVLA CONFESSIONIS FACIENDAE IN RE-GNO ANGLIAE.

HAEC LONDINI EVVL-
GATA SVNT OCTAVO
DIE MARTII,
ANNI

M. D. XLVIII.

Sar Miss

RPJCB

EDICTVM REGIS.

EDVARDVS

DEI BENEFICIO REX ANGLIAE, GALLIARVM ET HIberniæ, defenſor fidei, & Eccleſiæ Chriſti in Anglia & Hibernia, ſummum ſub ipſo in terris caput, uniuerſis & ſingulis dilectis ſubditis noſtris Salutem.

CVM IN SVPREMIS regni noſtri comitijs poſtremò habitis Vueſtmonaſterij in regia noſtra, à nobis ex unanimi conſenſu omnium ordinum, & ſtatuum regni noſtri ad gloriam Dei, & iuxta inſtitutionẽ Domini noſtri Ieſu Chriſti ſit decretum, & inter acta comitiorum Regni relatum, Vt uenerabile Sacramentum corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti diſtribuatur uniuerſis & ſingulis incolis Angliæ & Hiberniæ, ac aliarum prouinciarum noſtrarum ſub utraque ſpe-

cie, hoc eſt, panis & uini, ne quilibet apud ſe ſingularem quandam formam & rationem adminiſtrationis excogitaret, & ex diuerſa adminiſtratione uenerabilis Sacramenti, quod eſt Symbolum unitatis, oriretur indecens & pernicioſa diſcordia. Placuit nobis ex conſilio cariſsimi auunculi noſtri, ducis Somerſettenſis, cuſtodis corporis noſtri, & protectoris omnium regnorum noſtrorum, & aliorũ qui nobis ſunt à conſilijs, ut uenerabile Sacramentum adminiſtretur populis noſtris hac tantum forma & ratione, quæ noſtra autoritate & conſilio eorum, quos cõmemorauimus, eſt expreſſa & declarata. Optamus enim unumquenque debita qua decet reuerentia, & Chriſtiana circumſpectione accedere ad hoc ſanctiſsimum Sacramentum, & beatiſsimam communionem, ne indigna perceptione tantorum myſteriorum ſeipſum reum peragat corporis & ſanguinis Domini, & edat ac bibat iudicium ſibi ipſi, ſed multò magis

quem-

quemlibet diligenti ſui ipſius exami-
ne ſic accedere ad ſanctiſsimam men
ſam Chriſti, ut poſsit particeps eſſe
communionis & beneficiorum ipſi-
us, & in Chriſto manere, ac habere
Chriſtum in ſe habitantem.

Præterea etiam cupimus omnes ea
animorum conſenſione, & qua de-
bent ſubmiſsione hanc noſtram imò
Dei ordinationem excipere, ut nos
ſua obedientia ſubinde magis ac ma-
gis inuitent, ad alacrius ſuſcipiẽdam
curam & cogitationem ulterioris re-
formationis, & promulgationis hui-
uſmodi ordinationum, quæ ad glo-
riam Dei, ędificationem ſubditorũ,
& incrementum ueræ religionis per-
tineant.

Nos Deo uolente ad has res perfi-
ciendas ſummum ſtudium & diligen
tiam ſumus adhibituri, interim au-
tem uolumus & cupimus, ut ſubditi
noſtri hęc ſibi de nobis perſuadeant,
& quietis animis ſint. Vt qui ſponte
ſequantur autoritatẽ, ut æquum eſt,
ac decet ſubditos, non præueniant,

nec præuertere conentur, ne eorum nimia feſtinatio his rebus maximo ſit impedimento, dum aliqui arroganter magis quàm piè uolunt uideri, propria autoritate, præpropere has res promouere. Nolumus enim ſubiectos nobis uſque adeo contemnere iudicium noſtrum, nec tantum diffidere noſtro zœlo, quaſi aut neſciremus diſcernere quid agendum ſit, aut nollemus ea efficere, tempore ad hæc deſtinato.

Nam ſcimus (ſint Deo gratiæ) & quæ iuxta ſuum uerbum opus habent reformatione, & ſeria cogitatione nobis propoſuimus cum conſenſu cariſsimi auunculi noſtri & aliorum cōſiliariorum noſtrorum omni diligentia, & acceleratione qua conuenit eadem promouere ad gloriam Dei, & ædificationem ac quietem populi, quæ, ut nihil dubitamus, omnes obedientes, & dilecti ſubditi noſtri reuerenter à nobis expectabunt. Datum Vueſtmonaſterij in regia noſtra menſe Martio, Anni 1548.

Domine ſaluum fac Regem &c.

ORDO COMMVNIONIS.

PRIMO PASTOR Eccleſię, aut eius Vicarius proximo die dominico aut feſto, uel ad minimũ pridie communionis ſignificabit ſuis parrochianis, uel eis qui tum aderunt, ut ſeſe præparent ad communionem, hæc quæ ſequuntur aut ſimilia iſtis manifeſtè & clarè pronuncians.

Dilecti in Domino, & uos nominatim, quorum ſalus animarum mihi demandata eſt. proximo die N. conſtitui Deo uolente, offerre omnibus eis, qui ad hoc ſeſe apparare uelint, ſacramentum plenum conſolationis, hoc eſt, corpus & ſanguinem Chriſti, ut id percipiant in recordationem glorioſæ, & ſumme frugiferæ paſsionis ipſius, per quam obtinuimus remiſsionem peccatorum noſtrorum,

& participes facti ſumus cœleſtis regni. de quibus certi efficimur, ſi accedamus ad Sacramentum cum uera contritione de peccatis noſtris, & firma fiducia miſericordiæ Dei nobis propter Chriſtum gratis oblatæ, & cum certo propoſito præſtandi obedientiam erga præcepta Dei, & non perſeuerandi in peccato. Eſt igitur officij ueſtri accedere ad Sacramentum cum pectore pleno gratiarum actionis erga Deum patrem omnipotentem, & Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM, pro infinita ſua miſericordia & beneficijs exhibitis, ac præſtitis nobis indignis ſeruis ſuis, pro quibus non ſolum tradidit corpus ſuum ad mortem, & effudit ſuum precioſum ſanguinem, uerum etiam dignatus eſt in Sacramento, & myſterio dare ſuum corpus & ſanguinem ſpiritualiter in cibum & potum. Quod ſacramentum cum ſit res diuina & ſacroſancta, ac plena conſolationis eis, qui id digne percipiunt, & ſit res plena periculi ad hoc

indi-

indigne accedere, officij mei eſt, uos exhortari, ut conſideretis interim rei magnitudinem, & ut exploretis, ac probetis conſcientias ueſtras, neque hoc leuiter, aut hipocritarum more, qui Deo mentiuntur, ſed ut illi, qui debent ad diuinum, & cœleſte conuiuium accedere, cum ueſte nuptiali, quam Chriſtus in Euangelio requirit, ut poſsitis quantum humana ſinit fragilitas inueniri digni hac cœna, ad quam hac, uia & ratione eſt adeundum.

Primo, ut uos ex animo pœniteat anteactæ malæ uitæ, & quod corde non ficto, confiteamini Deo omnia peccata ueſtra, & ingratitudinem erga ſuam Maieſtatem, uoluntate, uerbo, facto, aut ex infirmitate, & ignorantia, & cum dolore, & lachrimis deploretis peccata ueſtra, & petatis à Deo miſericordiam, & ueniam, promittentes ei ex animo emendationē prioris uitæ.

Sed inter cætera debeo ex præcepto Dei uos commonefacere & ex-

hortari, ut reconciliamini eis quos of
fendiſtis, & à quibus eſtis offenſi, eij-
cientes ex animis, iram, odia, & indi-
gnationem aduerſus eos, & ut dili-
gatis omnes, ac ignoſcatis uniuerſis,
ſicut uultis Deum uobis ignoſcere.
Quod ſi inter uos quiſpiam ſit, cuius
conſcientia grauatur, aut offenditur
aliqua in re, aut qui cupit conſolatio-
nem & conſilium, is ad me ueniat,
uel aliquem alium doctum, & proui-
dum uirum, peritum in lege Domi-
ni, & confiteatur ſecreto ſuum pec-
catum, ut poſsit inſtitui, & recipere
conſolationem ſpiritualem, & à no-
bis tanquam Dei, & Eccleſiæ Domi-
ni noſtri Ieſu Chriſti miniſtris acci-
pere conſolationem, & abſolutio-
nem, qua poſsit ſeſe conſolari, ut con
ſcientia ſit libera ab omni dubitatio-
ne. Cæterum eos, qui ſuis mentibus
ſatisfaciũt generali confeſsione, hor-
tamur, ne offendantur eorum imbe-
cillitate, qui ut ſuis ſatisfaciant con-
ſcientijs, utuntur auriculari confeſ-
ſione ad ſacerdotem, ac uiciſsim hos

ipſos, qui iudicant opus eſſe, aut utile, ut quietas habeant conſcientias, uti confeſsione priuata, ne offendantur eorum firmitate, qui ſibi ſatisfaciunt humili ad Deum, & generali ad Eccleſiam confeſsione, & in omnibus huiuſmodi rebus ſequantur, & ſeruent regulam dilectionis Chriſtianæ. Et quilibet uideat, ut ſua ſibi ſatisfaciat conſcientia, non iudicet aliorum mentes, & actiones in his, de quibus non habet expreſſum uerbum Dei.

DE TEMPORE COMMVNIONIS.

Tempus communionis erit immediate, poſtquam ſacerdos ſumſerit Sacramentum, abſque mutatione cuiuſcunque ritus, aut ceremoniæ in miſſa, donec proſpectum, & conſtitutum fuerit à nobis de alio ordine. Vt igitur antea conſueuit ſacerdos præparare hoſtias, & conſecrare totidem, quot populo ſufficiunt. Sic nũc faciat per omnia, hoc excepto, quòd ſacer-

ſacerdos conſecrabit maiorem calicem, uel pulcram aliquam & conuenientem pateram plenam uino, cui admixtum ſit paululum aquæ, neque debet ſacerdos ſolus exhaurire calicem, ſed poſtquam ipſe ex eo bibit, porrigere quod reliquum eſt, eis qui petunt communionem, ad quos conuerſus, utetur hac exhortatione.

Dilectiſsimi fratres in Domino, qui acceditis ad ſacram σύναξιν, meminiſſe debetis, quid ſanctus Paulus ſcribat ad Corinthios, & quomodo commonefaciat omnes, ut diligenter ſeſe probẽt & explorent, priuſquam de hoc pane edant, & bibant de hoc calice. Quandoquidem ſicut beneficium ipſum per ſe maximum eſt, ſi ex animo uerè cõtrito, & uiua fide hoc ſanctiſsimum Sacramentum accipiamus, (nam ſic ſpiritualiter manducamus corpus Chriſti, & bibimus eius ſanguinem, & in eo manemus, & ipſe in nobis habitat, ac ipſe nobiſcum, & nos cum eo unum efficimur) ita ingens eſt periculum, ſi id

indignè

indignè accipiamus, tunc enim effi=
cimur rei corporis & ſanguinis Chri
ſti ſeruatoris noſtri, edimus & bibi=
mus noſtram condemnationẽ, quia
non diſcernimus corpus Domini, &
accerſimus nobis iram Dei, & pro=
uocamus, ut nos flagellet diuerſis pla
gis, & uarijs generibus mortis.

Quare fratres uoſipſos iudicate,
ne à Domino iudicemini, eijcite ex
animis ſtudium peccandi, pœniteat
uos ſeriò præteritorum peccatorum,
toto pectore confidite ſeruatori no=
ſtro Chriſto, diligatis omnes homi=
nes ex animo. Ita enim efficiemini ue
rè participes horum myſteriorum,
ſed ante omnia neceſſe eſt, ut maxi=
ma cum humilitate, & ex corde aga=
mus gratias Deo Patri, & Filio &
Spiritui ſancto, quod redemit mun=
dum per paſsionem & mortem ſerua
toris noſtri Chriſti, ueri Dei & ueri
hominis, qui ſe humiliauit uſque ad
mortem, mortem autem crucis, pro
nobis miſeris peccatoribus, habitan=
tibus in tenebris & in umbra mortis,

ut

ut nos efficeret filios Dei, & hæredes uitæ æternæ, ad hunc enim finem, ut ſemper memores eſſemus infiniti amoris, magiſtri, & unici ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti, & innumerabilium beneficiorum, quæ per effuſionem præcioſi ſui ſanguinis nobis obtinuit, reliquit in his ſacris myſterijs quaſi pignus amoris, Et perpetuum μνημόσυνον ſuum proprium corpus benedictum, & precioſum ſanguinem, ut ex his ſpiritualiter paſcamur, & haberemus æternam conſolátionem.

Ei igitur unà cum Patre & Spiritu ſancto agamus gratias, ut merito debemus, & humiliemus noſmet ipſos, ac ſubijciamus eius ſanctiſsimæ uoluntati, & ſtudeamus ei obſequi in uera ſanctitate, & iuſtitia omnibus diebus uitæ noſtræ.

Tunc Sacerdos dicet illis qui ſunt parati ad accipiendum Sacramentũ.

Si quis hic ſit palam blaſphemus, adul-

adulter, laborans odio, & inuidia, uel alio quopiam crimine manifeſto, nec de illo dolet ex animo, neque ſerio proponit id deſerere, uel qui non credit ſe Deo reconciliatum eſſe, aut non rediuit in gratiam cum proximis, is aliquandiu deploret adhuc peccata ſua, nec accedat ad hãc ſacram menſam, ne poſt acceptionem huius ſacroſancti panis, diabolus intret in eum, ſicut fecit in Iuda, ut ſit in eo efficax ad perpetrandam omnem iniquitatem, & ut pertrahat eum tam ad corporis quam animi exitium.

Hic quieſcet pauliſper Sacerdos, ut uideat utrum quiſpiam ſeipſum ſubtrahat à cœna, quod ſi perſpexerit, hunc oportuno tempore conueniat, & cum eo ſecreto colloquatur, & periculũ faciat utrum poſsit eum per exhortationem lucrifacere Chriſto, & paulo poſt dicet Sacerdos.

Vos qui uerè & ſeriò doletis de peccatis ueſtris, per quæ Deum offendi-

fendiſtis, & reconciliati èſtis proxi-
mis, et propoſuiſtis inchoare nouam uitam, & obſequi præceptis Dei, & iuxta ea dirigere omnes ueſtras actiones, huc accedite propius, ut percipiatis ſanctiſsimum Sacramētum ad ueſtram conſolationem, & humiliter confiteamini Deo omnipotenti, & Eccleſiæ ſuæ hîc congregatæ in ipſius nomine genu flectentes cum omni ſubmiſsione.

Tunc fiet generalis confeſsio nomine eorum, qui uolunt communicare, uel per eorum aliquem, uel per unum ex miniſtris altaris, uel per ipſum Sacerdotem omnibus interim flectentibus genua.

Omnipotens Deus, pater domini noſtri Ieſu Chriſti, conditor omniū rerum, & iudex uniuerſorum mortalium, nos confitemur & deploramus noſtra multiplicia peccata, & innumeras iniquitates, quas ſubinde per omnem uitam contumaciter deſi-

gnaui-

gnauimus cogitatione, uerbis, facto contra diuinam maieſtatem tuam prouocantes iuſtiſsimam iram & indignationem tuã aduerſus nos. Vere enim ex animo dolemus, & ſerio nos pœnitet de peccatis noſtris, eorum commemoratio eſt nobis acerbiſsima, illorum grauitatem ferre non poſſumus, miſerere noſtri miſericordiſsime Pater, propter Filium tuum dominum noſtrum Ieſum Chriſtũ, condona nobis peccata præterita, & benigne concede, ut ſemper poſthac ſeruiamus, & placeamus tibi in nouitate uitæ ad laudem & gloriam nominis tui, per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Tunc eriget ſe Sacerdos, & conuerſus ad populum ſic loquetur.

Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui ſuam poteſtatem dedit Eccleſiæ, ut abſoluat pœnitentes à peccatis ipſorum, & reconciliet cœleſti patri eos, qui ſuam fiduciam collocant in

Chriſtum, miſereatur ueſtri, remittat & condonet uobis omnia peccata ueſtra, confirmet & corroboret uos in omni bono opere, & perducat ad æternam uitam.

Sic ſtans conuerſus ad populum dicet, audite, quomodo Chriſtus inuitat ad ſe peccatores, & eos conſolatur, uerbis omni conſolatione pleniſsimis.

Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego uos requieſcere faciam, Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat uitam æternam.

Audite etiam quid ſanctus Paulus dicat.

Fidelis ſermo & omni obſeruatione digniſsimus Chriſtus Ieſus uenit in hunc mundum, ut ſaluos faceret peccatores.

Et Ioannes inquit.

Si quis peccauerit, aduocatum habemus

bemus apud patrem Ieſum Chriſtũ iuſtum, & ipſe eſt propiciatio pro peccatis noſtris.

Tunc genu flectet Sacerdos, & nomine eorum qui uolunt communicare ſic orabit.

Non audemus accedere ad hanc menſam tuam ô miſericors domine, fiducia iuſtitiæ noſtræ, ſed in multitudine miſerationum tuarum, neque enim ſumus digni, ut colligamus micas de menſa tua, ſed tu es ille idẽ dominus, cuius ſemper proprium eſt miſereri, Concede igitur miſericors domine, ut ſic edamus carnem filij tui, & bibamus eius ſanguinem in his ſacris myſterijs, ut perpetuo habitemus in eo, & ipſe in nobis, ut noſtra corpora peccatis inquinata munda fiant perceptione ſacratiſsimi corporis eius, & noſtræ animæ lauentur præcioſo ſanguine ipſius. Amen

Tunc ſurget ſacerdos populo ad-

huc genu flectente, & porriget Sacramentum primo miniſtris, ſi qui uoluerint communicare, ut poſtea iuuent eum in adminiſtratione Sacramenti.

Et cum exhibet Sacramentum corporis utatur hac forma orationis.

Corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti, quod traditum eſt pro te, conſeruet corpus tuum, & perducat animam tuam in uitam æternam.

Et cum porrigit Sacramentum ſanguinis, ſic orabit.

Sanguis domini noſtri Ieſu Chriſti, qui pro te effuſus eſt, conſeruet animam tuam ad uitam æternam.

Si affuerit Diaconus, aut alter Sacerdos, is priorem qui porrigit corpus domini, ſequatur cum calice, quem continuo exhibeat. His finitis uertet ſe ſacerdos ad congregationem, quam cum hac benedictione miſſam faciet.

Et

Et pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, conſeruet corda ueſtra, & mentes ueſtras in cognitione, & amore Dei, & filij ſui domini noſtri Ieſu Chriſti.

Cui reſpondebit populus,

Amen.

Et eſt obſeruandum, quòd panis conſecratus eiuſdem erit formæ, qua antehac fieri conſueuit, & quælibet hoſtia conſecrata frangetur in duas aut tres partes, iuxta inſtitutionem Chriſti, accepit & fregit ac diſtribuit. Nemo autem exiſtimare debet minus cum parte panis, quàm cum tota hoſtia, ſed cum utraque integrum corpus Chriſti accipi.

Præterea obſeruandum eſt, quòd ſi uinum conſecratum non ſufficiat omnibus communicãtibus poſt primum calicem, aut primam pateram exhauſtam, reuertatur ad altare, & reuerenter alteram, aut tertiam ſi o-

 pus

pus fuerit conſecret, repetens uerba ſimili modo poſtquam cœnatum eſt &c. uſque ad finem, qui pro uobis & pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum, ſine tamen eleuatione, & adoratione aliqua.

PIO LECTORI.

CVM huius ordinationis decretum & indicatio ueniſſet in manus noſtras ſcripta lingua Anglica, mihiq́; legenti uiſa eſſet digna, quæ à quamplurimis cognoſceretur, impendi aliquot horas conuerſioni illius in linguam Latinam, & curaui hæc edi, ut innoteſcere etiam alijs gentibus & nationibus poſſent. Cum autem ſit uere Regia uirtus ſtudium pietatis & religionis, in hoc Rege adhuc teneræ ætatis illud ita euceſcens omnium admirationem meretur. Et cum nulla Religionis ueritas extra uerbum Dei, quod nobis ijs literis, quas ſacras uocamus, declaratur, reperiatur, In hanc partem Regis & populi Anglicani curam cogitationémque intendi, ut Euangelium Chriſti, in quo omnium, de quibus uoluntas Dei promulgata fuit,

ſuit, ἀνακεφαλαίωσις continetur, pure & plane doceatur, & ritus inſtituti à Chriſto & ab Apoſtolis ut cuſtodiantur, profectò & Deo ipſi in primis gratum, & ſanctis Angelis iucundum eſt & omnibus pijs, cum maximam lætitiã, tum nonnullam conſolationem affert. Cedit igitur ueritas iam pulſa illis luculentis ſedibus Aſiæ, Africæ, atq; Europæ etiam, & ſe in hæc ultima loca terrarum confert. Ita nimirum occulto conſilio Dei hæc diſponente, ut longius etiam ſub ocaſum & ſeptemtriones doctrina cœleſtis propagetur. Ob hoc igitur beneficium nos etiam gratias agere Deo par eſt. Nam quod quidam fortaſſe cum alia in hac ordinatione repræhendent, tum indignabuntur Regem ſecularem, ut uocant, id eſt, plane laicum, hanc curam ſuſcipere & audere in Eccleſia aliquid conſtituere, ac ſe etiam huius caput profiteri, de eo iam alij ante hoc tempus, cum à quibuſdam acerbe exagitaretur, grauiter diſſeruerunt. Non eſt hæc cura atq; cogitatio aliena, à Regib. quid in Eccleſia Chriſti fiat ac geratur, ſed ad eos potius propriè pertinet, tanquam cuſtodes legis diuinæ, præſertim alijs negligentibus. Videre enim hac in parte onus et miſeriam populi, neque alleuare ac ſuccurrere, profectò regium non eſt, nequid dicam uehementius. Sed de his non diſputabo. Quòd caput ſe uocat ſui cœtus Eccleſiaſtici in regno proprio, id & conſuetudi-

16451

ſuetudine & uſu linguæ Gentis minus durum eſt huic populo. Neq; non ſcit in illa, quamuis tenera ætate ipſe, neq; ignorant profectò opt. & doctiſſ. & religionis Chriſtianæ amantiſſ. uiri omnium ordinum & conditionum circum eum, ſolum Chriſtũ unicum eſſe caput Eccleſiæ ſuæ, Sed eſt nihilominus quiſq; Princeps ſui populi caput, populus autem certe Anglicus Chriſtianus eſt, ut in hac forma ſermonis incõmoditatis nihil inſit, niſi aliquid à calumniæ maleuolentia fortaßis inuehatur, à qua cum nihil tutum eſſe poßit, neq; ſit amoletum συκοφάντου δήγματος, ut ait Comicus, feret nimirum æquo animo obtrectationem inuidiæ ac odij hic Rex, & gaudebit ſe cum Deo ipſi ſatisfacere puerili conſcientia ſua, tum omnium bonorum ac piorũ ſtudia mereri, et contra omnes improbitatis aduerſationes enitetur ad conſequendam perfectionem uirilem in Chriſto Ieſu, unà cum ætate conſtante, ad quam eum perducat, & in ueritatis cultu, amore, ſtudio, benigne conſeruet AEternus Pater Filij coæterni Domini noſtri Ieſu Chriſti unà cum Spiritu ſancto, ſolus, uerus, omnipotens, iuſtus, miſericors Deus, cui laus, honor, uictoria ſempiterna.

AMEN.

A. A. S. D. TH.

DA548
C5610